

THEODORICVS PRAESVL COLONIENSIS.



THeodoricus suam originem ex familia Mor-
sensi apud Germanos principes honoratissi-
ma habuit. Is foelici ingenio & praecleara indole pre-
ditus, literarum amore Bononiam profectus iuri
pontificio operam dedit. cuius etiam magnam e-
ruditionem adeptus est. Cum interea Coloniensis
praesul moreretur, a Ioanne 23 eius nominis ponti-
fice in eius locum surrogatus fuit. Ille ergo id offi-
cium suscipiens, per 48 annos magna gloria admi-
nistravit. Erat enim corpore pulchro, & supra om-
nem staturam eminenti, animo permagno & libe-
rali, cuius palatiu illustribus semper hospitij patu-
it. Habebat is fratres magnae autoritatis tres. Hein-

ricus maior natus paternum principatum gubernavit. Ioannes Monasterien-
sem Ecclesiam multis annis usque ad vitae exitu summa cum laude gubernavit.
Valranus ad Traiectensem Ecclesiam Basiliensis Concilij favore peruenit.